

# **Carmen de Martyrio Maccabaeorum**

Rex fuit Antiochus Syriae ditissimus olim,  
in cuius regno mater natique fuerunt  
septem, ut fama refert, de sancta gente creati,  
quos cura adsidue generis meminisse iubebat  
et legi servire datae: sic namque volentes       5  
de populo meliore dei sua iura tenebant.  
rex avidus mutare fidem, mutare timorem  
iustorum voluit, populo ut misceret iniquo.  
praemia promittit matri, promittit et auri,  
et quidquid posset toto conquirere regno,       10  
si modo mutaret mores sensusque priores,  
cogeret et natos alios sibi fingere mores.  
illa negat tacitumque premit sub corde dolorem.  
hanc postquam nulla potuit compellere praeda,  
temptavit primum tormentis vincere saevis;       15  
pertulit illa graves gemitus et tristia regis  
verbera non timuit. victum ut se vidit at ille:  
"Heu, quid agam," dixit, "vincis quod femina regem?  
non tamen effugies; plus est, quod, dura, dolebis:  
in natos saevibo tuos; licet, improba, perstes,       20  
hac certe ratione meum sanabo dolorem."  
sustulit illa manus caelumque aspexit in altum;  
emisit gemitus et talia verba locuta est:  
"Tu licet et gazas tradas et regna, tyranne,  
non capimur regum donis, nec munera sanctis       25  
eripient promissa dei. spes certior illa est,  
quae vitam nobis promittit tempore longo:  
hanc sequor, hanc didici, non lubrica tangere dona;  
sumere divitias facile est et perdere vitam.  
sed licet et flamas post vulnera saeva mineris,       30  
nil mutare potes, quod primis coepimus annis.  
virtute id cum lege data mihi vincere certum est.  
quid nunc, saeve, iubes? natis quid, dure, minaris?  
hoc solo poteris matrem turbare dolore.  
est mihi namque deus spes, est mihi cura meorum,       35  
per quam spero equidem te nullum vincere posse.  
caeli, quaeso, fave, numen, quia iusta rogamus."  
rex furit Antiochus, turbatus corda tumultu  
concutit et saevos testatur lumine vultus  
miraturque diu, possit quod femina tantum.       40  
"Pare, age, miles!" ait; "regi quoque pare, minister!  
vos famuli parete mihi! date digna furenti  
femineo tormenta malo; saevire furentem  
femina me cogit: quod plus est, femina vincit  
regis iussa sui! sed non inpune locuta est:       45  
membratim perdam septem quos perfida natos

intra se retinet: quorum qui primus habetur,  
hic primus pereat; perdas sic ordine cunctos, 48  
cernat ut ipsa suos mater nunc aspera natos 50  
cratibus inpositos subiectis urere flammis. 49  
poena autem manet haec; celeres decet esse ministros." 51  
Interea fecunda parens iam crine soluto 52  
stabat et, hortanti similis, iam pectore nudo  
ubera protendens, natorum alimenta suorum,  
non confusa aperit, natumque ut vidi ad ignem 55  
constantique gradu fortem procedere, dixit:  
"Tu mea progenies, tu primus respice matrem.  
tu certe meus es: nunc nostri, nate, memento!  
te primum peperi, tu nunc imitare parentem:  
sume meos mores et regem vince tacendo; 60  
tu poteris durare diu, si tempora vinces.  
perfida ne superet sanctos violentia regis.  
utere consilio matris, nec damna timebis.  
fortior esto aere saxoque potentior ipso;  
ingredere ut iuvenis, patienter vince dolores." 65  
Ille modo ad matrem vultus, modo tollit in altum,  
dumque tacet tacitusque rogat, quem debet, et orat,  
non sensit rapidos subiectis cratibus ignes.  
corpus inane fluit; mater gavisa dolore est  
et dixit: "Vici; vincam sic saepius, oro; 70  
duret natorum virtus incognita regi,  
sed iam nota deo, populi qui pectora novit."  
Finierat primi partus fecunda dolorem,  
sed remanente metu pro pluribus anxia mater;  
dissimulatque tamen, ne regem gaudia tangant. 75  
rex stupet Antiochus nec credit posse sequentes  
poenae tale genus simili pervincere sensu.  
coepit iubet peragi; mater non territa mansit.  
sed tamen ut vidi pallentem adsistere natum,  
haec secum volvens aliqua iam parte levatur: 80  
"Ecce secunda mihi partus producitur aetas:  
quam similis fratri formae! si pectore duras  
et sequeris primi partus vestigia nostri,  
esse meus poteris, poteris reparare salutem,  
quam iam frater habet matris praecepta secutus. 85  
pone metus regisque minas contemne furentis  
regnaque, quis cursim labentia tempora dantur.  
non poterit post ista tibi rex iste nocere;  
sed poteris post haec tu regi, nate, nocere.  
temporis ecce levis concendere cogeris ignes! 90  
virtutis locus est: languentem pone timorem.  
esto memor nostri, generis si sensus inhaeret.  
hic, qui sceptra tenet, regno qui saevit in isto,  
tempus inane agitat regno vitaque carebit  
damnatusque nocens aeternos sentiet ignes: 95

tu securus eris turba comitante piorum.  
aspice, nate, meos vultus et suspice caelum  
auctoremque deum, per quem tibi vita paratur.  
fac melius fratrisque tui vestigia calca:  
non quod iste iubet, sed quod deus imperat, audi." 100  
sicut erat monitus matrem caelumque videre,  
constitit atque hilari vultu contemnere regem  
coepit et ut ridens ardentes inruit ignes  
conlapsusque iacens anima superante quievit.  
mater ut hoc vidit, rigido sic ore locuta est: 105  
"Felix parte aliqua sum: iamiam non potes omnes,  
saeve tyranne, meos cruciando vincere natos.  
te gravior mox poena manet, crudelis, in igne,  
quam patiere brevi: deus haec namque omnia cernit."  
Iam duo securi contempto rege manebant, 110  
spes melior iam matris erat: iam tertius instat  
ecce locus poenae; si poena est vincere regem  
et servire deo: laus est, non poena furentis.  
tertius adtrahitur iuvenis frendente tyranno,  
qui nondum satiatus erat; furor intus et ira 115  
saevibant pariter, quod fortia pectora fratrum  
viderat in pavide regis superasse furem.  
constitit ante pedes iuvenis florentibus annis,  
egregius forma, dignus qui regna teneret,  
dignior Antiocho, et sic meliora secutus 120  
regna volente deo; mater cui talia fatur:  
"Accipe, nate, tuae securus dicta parentis;  
accipe, ne segnis perdas virtutis honores.  
sunt tibi iam fratres pietatis sede manentes,  
iam meliore loco, quam regna labentia regis. 125  
quorum si proprios attingis pectore sensus,  
victor apud populos regem superasse fereris,  
sicut fama tuos iam misit in omnia fratres.  
his accede, precor; sunt haec aptissima dona:  
contempsisse nefas et iura relinquere regis 130  
indomiti, quem nulla manet post ista voluptas."  
at iuvenis tacito mittebat murmure voces;  
oranti similis palmas tendebat in altum  
subnixoque genu matris pendebat in ore,  
qua licet aspectu corpus cui turba premebat. 135  
qui simul admonitus cratem condescendit, in igne  
intrepidus certaque fide sua membra locavit,  
concederunt flammariae tepida remanente favilla  
corpusque inlaesum tellus adaperta recepit,  
sancta quoque ad superos anima inviolata recessit. 140

At mater dubitans, gemitus an gaudia sumat,  
haesitat et querulo sic est sermone locuta:  
"Quid nunc, dire, paras? iussis parebimus omnes.  
sed numera partus, custos ne subtrahat ullum!"

ac licet ipse velis, non sum passura, tyranne,145  
ut non isto omnes pereant certamine nati.  
temporis ista tui mutes licet horrida poena est  
duraque damnatis eadem sententia natis.  
si graviora putas, si sunt graviora, minare!  
quodque meos cernis vultus, horrore teneris?150  
gaudemus pariter, quotiens decernis in istos."  
Ardet at ipse magis rabida rex concitus ira  
temptarique putat, ne sic et cetera fratum  
turba ferat poenas, matremque hoc quaerere sentit.  
durat in exitium quartumque addicere natum155  
poenae mox voluit; lassati iamque ministri  
nec regis furias nec regem ferre valebant.  
pro pudor! erubuit vultus ostendere matri  
natus et attonita mente confundere coepit.  
hunc postquam stantem submisso lumine vidit,160  
talibus aggreditur dictis monitura timentem:  
"Quartus es a primo partus mihi, quartus et infans.  
quae nunc verba tibi, quae possum dicere, nate,  
hoc nisi, quod solum durata potentia tecum  
sit simul et virtus, sanctae quoque originis auctor?165  
illi debemus, regi quodcumque negamus;  
ille dedit nobis Abraham cum semine sancto,  
per quem nobilitas, per quem genus omne probatur,  
quod manet in domino sanctum; quia nascitur Isac  
tunc, cum iam nullum natum sperare senectus170  
sponte sua poterat, sterilis quia Sarra manebat.  
illa tamen peperit, generisque propagine coepta  
ex insperato remanent tibi, Sarra, nepotes,  
Esau et patria deductus origine Iacob,  
quos scimus partu geminos peperisse Rebeccam.175  
hinc sumus, hinc orimur; genus hoc tibi, nate, petendum est.  
tu tibi pande viam, genitori accede priorum,  
quorum progenies totum dispersa per orbem  
invidiam patitur, dominum quia sola potentem  
mente colit iusta nec turbae accedit iniquae.180  
quid tibi cum tristi vultu? quid lumina terra  
fixa tenes? caelum potius caelique parentem  
conspice! ne dubita, mater tibi prospera monstrat,  
quidquid inest. patienter adi, comitare valenter  
turbam, nate, meam numerumque hortare sequentem."185  
sic dilecta parens luctus et gaudia miscens  
finierat claros monitus. tum luminis orbes  
ipse levat matremque oculis intendere coepit,  
nil iam triste gerens habitu vultuque fatetur  
se timuisse nihil nisi tristia vulnera matris190  
per partus divisa suos. sicque ipse tenentum  
elapsus manibus cursu contendit in ignes.  
mira loquar: non flamma comas, non contigit ora;

corpus ut exanimum flamas superarat et ignes,  
ore patente, tamen tacito, qua spiritus iret                    195  
unde acceptus erat, pariter cum sanguine fugit.  
hoc ipso gavisa parens, quod, qui modo tristi  
constiterat vultu, fretus mox pectore toto  
paruerit monitis et regis tempserit iras.  
sic est orsa tamen, cum rex dubitaret in illos                    200  
qui superant, gemitusque darent pia turba ministris,  
regem execrantes, tacito sermone querentes:  
"Protrahe! quid dubitas? nulli iam parcere debes  
nec potes, ut cupias: decretum rumpere noli.  
appello regem, totum qui temperat orbem,                    205  
cui mare, cui caelum, caeli cui sidera parent,  
quod, nisi producis, timor est. iam segniter haeres,  
iam sentis, quae regna petat, quae gloria nobis  
parte in utraque manet, si iam tu parcere nolis.  
nam quoscumque tuo iussisti excedere regno,                    210  
saevitia comitante tuum vicere furorem,  
nempe tuum, laetique manent in sede piorum.  
forsitan hoc mortem credas, furiose tyranne:  
vita est longa magis regnoque potentior isto,  
quod regis et cuius extrema in parte moraris.                    215  
hos quoque si metuis: superant aetate minores:  
contemptaque simul vici tua regna, superbe;  
sed perage imperium nec partus divide nostros:  
hos quoque da flammis et viribus utere regni;  
mortalis tamen es nec in aevum regna tenebis."                    220

Concipit Antiochus furias saevusque tyrannus  
aestuat et gemitus inter sua pectora volvit.  
consentit cum mente dolor tristisque gravatos  
attollit vultus et talia verba profatur:  
"Haec tua libertas et dura potentia linguae                    225  
atque hic, quem tumida portas cervice rigorem,  
sentiet, irati regis quid tempora possint.  
si nondum es satiata malis et fingere temptas  
laetitiam luctusque tuos in gaudia vertis,  
non mutabo necem: gaude, laetare, triumpha,                    230  
dummodo sic vincas, ut sis suprema tuorum:  
sic furiosa animis natorum funere gaude!  
hos quoque do flammis; hoc nec mutare potestas  
ulla potest; decreta manent - laetare superstes  
natis orba tuis. et ne mea iussa morentur,                    235  
ordo suos peragat cursus. producite natum,  
ne vani pereant ignes dubiusve videri  
rex possit. certe timor est mihi femina nullus."

Praecipuu de gente tua produceris, ore  
et specie mirande puer, cui pectore virtus                    240  
firma manet (iamque hinc poteras vel vincere regem).  
ad quem sic placido mater sermone locuta est:

"Si dare complexus matri tibi, nate, liceret,  
confiteor, soli post vulnera, nate, dedissem;  
sed me dura vetat tristisque potentia regis. 245  
denegat amplexus, dum sit vox libera nobis  
et liceat meminisse dei legemque tenere  
non a rege datam, sed quam deus arbiter orbis  
tradidit et mundi rector, Mosesque petitam  
accepit populoque dedit, cui maxima laus est 250  
nosse deum, meritum cui nos debemus honorem.  
tu modo ne dubites monitis parere parentis!  
sit vigor et virtus, penitusque in pectore toto  
mens maneat iam plena deo; sit fortior aetas,  
quam regem sperare fuit superare iubentem. 255  
o quanta est virtus, quanta est fiducia fortis!  
sed iam ne dubites medias pervincere flamas!  
victor eris, mihi crede, puer, victorque redibis.  
ossibus et validis miscebunt corpora nervi,  
servatas animas iterum in nova viscera reddent. 260  
sed ne forte tamen rapidus te terreat ignis:  
fratrum sume animos aeternumque invoca nomen."  
iussa facit tacitusque deum testatur et orat  
murmure, quo poterat. puerum non impedit aetas,  
non timuit cratem expositam matrique volenti 265  
paruit et dicto citius superinruit ignes.  
cesserunt flammæ, cessit dolor omnis et una  
corpus et ignis erat: corpus superaverat ignem,  
spiritus ante tamen placidas superaverat auras.  
laeta dolet tacite mater pressoque dolore 270  
tristitiam luctusque suos in gaudia vertit.  
Interea trepidat et curas corde voluntat  
non de praeteritis, sed de puerilibus annis  
qui superant, ne forte negent, ne forte timorem  
conciipient animo regique attendere malint. 275  
quo minor est aetas, maior metus; anxia secum  
ducit heu curas: et iam spes ac timor una  
luctantur matrisque piae per viscera currunt.  
spes tamen est melior, natum ut procedere vidit,  
et procul exultans: "Video, quid possit in isto 280  
spes conferre mihi; vultus agnoscere nostros  
debet et hic, fratrum numero parere suorum.  
forsitan hunc solum puerilia pectora tangant  
indigneque ferat, quod sic velut hostia detur.  
adloquar et paucis conabor dicere verbis, 285  
sit memor ut potius generis quam temporis huius:  
Si te nobilitas, generis si tangit origo,  
respice, nate, tuos, Israhel quoque respice, nate.  
noli annos numerare tuos, puer; incipe fortis  
pectore ferre deum. tradent hoc saecula saeclis, 290  
quod tua det fortis aetas exempla futuris

temporibus. da, nate, precor, quodque amplius hoc est:  
cogita, quae fugias et quam meliora petantur.  
non te sollicitet stolidi fallacia regis,  
sed crescent istaec nunc in contraria." victor                    295  
spiritus extinxit flamas; sic deinde vocatum,  
quod dederat, corpus tellus adaperta recepit,  
sanctaue, quae superest, anima inviolata recessit.

Quamvis lassa parens, perque et sua vulnera victrix  
procidit in faciem pariter manibusque supinis                    300  
has habuit voces et talia verba locuta est:  
"Qui tenes imperium caeli terraeque marisque,  
sidera qui caelo, qui das animalia terris,  
aequoribus pisces, avibus qui temperas auras:  
ad te, magne, meae mentis fiducia surgit,                    305  
qui chaos inmensum, caeca caligine mixtum,  
dividis in partes et das noctemque diemque,  
lunamque ac solem, vario quos tempore semper,  
nocte dieque, iubes lumen praebere per orbem.  
post haec das hominem, cuius de semine mundus                    310  
completur, mortale genus, cui lingua loquescit  
dissona per gentes; sapor est tamen omnibus unus.  
sed quid mutarit meritumque hominumque loquellas,  
longa referre mora est: coepitis insistere certum est.  
te mare divisum virga tenuisse fatemur,                    315  
dum pede per siccum populus transcenderet aequor  
Aegypti fugiens mortes regemque Pharaon,  
qui sibi sanctorum numerum servire iubebat,  
quem tua maiestas Mose duce transtulit amne  
servatumque tua tutum virtute diremit.                    320  
terra dabat fructus, quos te cogente ferebat,  
et sitis ad requiem quaesita est lympha latebris.  
umor erat nullus: cuncti clamore querentes  
poscebant Mosen, daret ut sitientibus undas.  
ad quos ille brevi sic est sermone locutus:                    325  
"Credite posse deum, quidquid petieritis ab illo,  
qui potis est virga hac amnem defundere saxo,  
ut veniant fontes tota regione negati."  
percussitque simul: dicto velocius omni  
emisit saxum fontes dulcedine prima.                    330  
confiteor, totus cum sit tibi debtor orbis,  
tu, quidquid possunt gentes, potes omnia solus,  
et quod non capiunt gentes, capis omnia solus.  
tu mortale genus curis onerasque levasque:  
te precor, attonita mente confirma timentem,                    335  
ne desit fratrum numero meus infimus infans  
ignarusque sui; quem iam procul ecce teneri  
conspicio turba circumveniente frequenti.  
hunc propter solum lacrimas mihi commovet aetas;  
unus enim superest, de quo mihi maxima cura est,                    340

ne tener ignoret, qua sit de gente creatus.  
hunc ego si possem secreto adprendere solum,  
blandirer patriumque genus patriamque docerem:  
sed quaecumque tamen potero, solacia mittam:  
Parve puer tenerisque tuis mihi carior annis                    345  
(carior es regno, vita quoque carior ipsa),  
tu potes in totum victricem reddere matrem.  
tu, finis partus finisque future malorum,  
si te cura mei tangit, si matris honorem  
mente pia retines, quamvis sis carus et infans,                    350  
hoc magis aure avida dictis adtende parentis.  
primum disce, puer, quid sis post ista futurus,  
si patiens fueris (quod te mihi, care, futurum  
facta docent fratrum): sanctorum in parte manebis  
et requie securus eris, dum saecula cursus                    355  
saeva suos peragunt. finito tempore longo  
hanc lucem repetens aeternaque regna videbis  
non maculata malis, sed erit concordia sanctis;  
nec morti locus ullus erit nec bella citatis  
committentur equis, sed pax aeterna manebit.                    360  
matri crede tuae, quae te cupit esse salutis.  
heu mihi, cur tristi vultu mea dicta repellis?  
quid refugis? miserere mei, miserere tuique!  
si liceat, prior ire velim: vetat ecce! sed ibo  
tunc, cum victorem te video, nate, malorum.                    365  
quid sperare iubes? solus mea dicta moraris?  
solus adhuc etiam revocas mihi, nate, dolorem?  
adnus an damnas et me fratresque genusque?  
quod ne forte velis, oro te et deprecor. audi!  
his ego te parvum nutrivi, nate, papillis.                    370  
his precor et lacrimas te propter, nate, profundo,  
ne remanere velis: remanebis solus et orbus;  
non tibi iam frater est ullus. solacia vitae  
quis dabit? heu solus matrem confundere temptas  
et genus et patriam, si talia dicta recusas.                    375  
o quanto melius vitam servabis in aevum,  
si facis ante deum, quidquid fecere priores!  
audenter depone metus, depone timorem:  
concipe mente deum; vires dabit ille viriles."  
haec dum mater agit, puer ad praecepta parentis                    380  
respicit, et solum ut se videt esse relictum,  
sustulit in caelum vultus palmasque supinas,  
et sic voce petens aeternum numen adorat;  
quem secum sensu pariter nutuque rogabat,  
vinceret ut regem, saevos ut vinceret ignes.                    385  
atque ita non segnis nec pro puerilibus annis  
prosilit intrepidus medios delapsus in ignes  
et pugnat, v Victor donec remearet in altum  
spiritus et fratrum peteret secreta priorum.

Dum puer ista gerit, solverunt gaudia matrem:  
iamque ut erat lassata malis, iam voce negata  
spirat ovans interque manus conlapsa suorum  
concidit exanimis resolutaque membra quierunt.  
sic ipsa et nati sanctorum in parte recepta est.

390